



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De septem vitiis principalibus, cap. 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

stolica, vt eius obseruatio, pro qualibet satisfactione peccatoribus sufficiat. APOLLONIVS: Si religio nostra pro peccatis nostris est satisfactio, & eadē satisfactio exterior est tentatio, nosse vellem in quibus vel à quibus tentemur. CÆSARIVS: In quibus tentamur, quatuor sunt, Deus, caro, mundus, & diabolus. Quòd à Deo tentemur, testis est Moyses, dicens: Tentauit Deus Abraham. Item: Tentat vos Dominus Deus vester. Deus verò, secùdum quod Apostolus Iacobus ait: intentator malorum est. Tres residui tētatores, hostes sunt, & ideo vt hostes cauendi. Cedendo eis, confundimur; resistendo, meremur; vincendo coronamur. Quantus sit in tentatione labor, quantus timor, quantum dispendium, quantumve meritum, sequentia declarabunt exempla.

CAPVT II.

SEPTEM sunt vitia principalia de vna virulenta radice, superbia scilicet, pullulantia, ex quibus vniuersa penè procedunt tentamenta. Primum vitium superbiæ succedens est inanis gloria, secùdum ira, tertium inuidia, quartum acedia, quintum auaritia, sextum gula vel gastrimargia, septimum luxuria. Ex his quædam spiritualia sunt, vt inanis gloria, ira, inuidia: quædam corporalia, vt gula & luxuria: quædam mixta, vt acedia, auaritia. Acedia, quantum pertinet ad dolorem cordis, vitium spirituale est; quantum ad torporem corporis, corporale est. Septem istæ pestes septē sunt riuuli, quibus irrigatur terra Ægypti, id est tenebrosus cor peccatoris. Et sicut Nilus, ex cuius abundantia diuiduntur septem riuuli, fluit de paradiso, & deriuatur per Ægyptum: Ita Lucifer eiectus de cælo propter superbiam, per hæc septem vitia se diffundit per cor humanum peccatis mortalibus tenebrosus. Septem ista vitia designant septem illas gentes immundas, quas Dominus a facie Israël de terra promissionis deleuit. Designatur etiam per dæmonia septem, quæ Saluator de corde Mariæ Magdalene eiecit. Ex quatuor rotis huius septenarij Ioël Propheeta quadrigam construit Pharaoni, dicens: Residuum

Genes. 22
Deut. 13
Iac. 1.1

De 7. vitis capitalibus.

Deut. 7.

Luca 8.
Ioel. 1.

*Gregor.
lib. 33.
Moral.
cap. 39.*

*Amos 1.
2.*

crucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Per erucam beatus Gregorius notat libidinem, per locustam inanem gloriam, per bruchum ingluuiem ventris, per rubiginem iram. Multi domant libidinem, sed inde eriguntur in superbiam: de superbia ruunt in ingluuiem, de nimia comestione & ebrietate in iram vertuntur. Tres equi hunc currum trahentes, tria vitia sunt residua, invidia scilicet, tristitia, & auaritia. Ecce tria & quatuor scelera, quibus diabolus vehitur secundum Amos prophetam in Damascum, in Gazam, in Tyrum, in Edom, in Ammon, in Moab, etiam in Iudam, & in Israël. APOLLONIUS: Cum vitijs istis tentamur, sicut in nobis, vel extra nos? CÆSARIUS: Post ingressum virtutum, non sunt in nobis per habitum & vsum, sed secundum fomitem. Sicut in ingressu filiorum Israël, septem illæ gentes non sunt omnino deletæ, sed tributis subactæ: sic ingressis virtutibus in terram cordis nostri, vitia non profus extinguuntur, sed restringuntur. Et sicut postea filij Israël sepius a reliquijs earundem gentium impugnabantur, ita per fomitem vitiorum, frequenter virtutes nostræ tentantur & exercitantur. APOLLONIUS: Rogo vt de viribus horum septem vitiorum me expedias, & quam acriter nos tentent, subiunctis exemplis ostendas.

CAPVT III.

CÆSARIUS.

Desuperbia.

SUPERBIA, quæ primum locum tenet inter vitia, est singularis excellentiæ super alios quidam appetitus: vnde dicta est superbia, quasi suprabriam, id est, mensuram se extollens. Sub hoc vitio in predicto septenario a quibusdam inanis gloria comprehenditur. Duo enim genera sunt superbiæ, vnum est intus in cordis elatione, alterum foris in operis ostensione: primum propriè dicitur superbia, alterum iactantia, vel inanis gloria. Superbiæ propagines & vires sunt inobedientia, inconstantia, hypocrisis, contetiones, pertinacia, discordia, nouitarum præsumptiones. Quatum per